

1605

*Conjuratio
contra Ja-
cobum An-
glia Regem
detecta.*

regni comitia indixisset, duo in Angliam præcipui catholici, Thomas Percius, ac Robertus Catisbejus, acerrimo in Jacobum odio ob religionem incensi, de nece ei inferenda consilia ineunt. Percius vi & ferro agendum censebat; Catisbejus insidiis tentandum arbitrabatur. Silentium jurejurando pacti, alte pectori conditum consilium Catisbejus Percio promit; aulæ comitiis destinatæ subjectum fornicem tormentario pulvere, sulphure, farmentis complendum esse: furtim igne admoto, prompte pabulo incrementa suscipiente, momento ingenti vi disiectum atque eversum, Regem, conjugem, filios & processus simul oppressurum. Catisbeji astus Percio probatur; conceptum scelus aggrediuntur, subterraneum locum conducunt, tamquam in illum dolia atque res hujusmodi conjecturi. Inde sensim secreto stramentis pyrioque pulvere fornicem stipant: diem ad scelus patrandum constituunt. Viginti aureorum milia, si res voto succedat, impendenda cogunt; equos expeditos, quibus gestum in omnes regni partes proferatur, instruunt. An externos Principes, communicatis consiliis, ad opem feren-
dam invitent, ambigunt: ne impedimenta objiciantur veriti, facinus perfici satius existimant, confecto adjutores ac patrocinatores non defuturos. Consilium, alioqui tectum, densaque caligine involutum, divinitus insperato, antequam patrandi sceleris dies adsit, evulgatur. Forte Montilaquo nobili cuidam, veteri religioni addicto, ut comitiis cum reliquis adesset, dies dicta erat; & quem summo amore prosequebatur Percius. Imminens fatum miseratus, per Hibernum quemdam epistolam absque nomine mittit: ne præstituta die comitiis intersit, si se salvum velit, monet; ingens si accesserit periculum subiturum; perfectam epistolam statim flammis donet; am-
busta periculum omne depulsum iri. Literas insani hominis esse, quamvis sibi Montilaqueus suadeat, attamen cum de summi momenti re ageretur, statim ad Salisberiensem comitem, primas apud Regem obtaintem, defert. Perfectas, licet Salisberiensis non magni æstimaret, Regi tamen ostendit. Hæret ille, ingens flagitium iis significari ratus; sedulo rimatur, expendit verba, quæ periculum ita cito discussum iri, ac literæ comburantur, affirmant, examinat, pensitat. De cuniculo incenden-
do, quo publicæ comitiorum ædes momento excindantur, atque